



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 24. Quid dicendum sit de Sacerdote, qui circa consecrationem vel Missam est scrupulosus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

enumerat; additque plura, quæ à celebrante facienda sunt ante & post Missas, ut censeantur Gregorianæ. Et has legere aut curare legi, est, per se loquendo, licitum, dummodo vis non ponatur in tali præcisè numero, aut in hac vel illa conditione requisita. Quamvis autem aliqui putent eas habere majorem cæteris efficaciam, tamen non apparet, unde illa esset, *Pasq.* q. 296. Denique *Aversa* q. 11. f. 18. §. primo. etiam dicit eum, qui eas legendas suscepit, non teneri continuatè legere per 30. dies: excipe tamen, nisi accepto stipendio hoc ipsum expressè appromiserit, secundum dicta n. 158. Plura de 30. Missis Gregorianis videri possunt apud *Raynaudum* in *Heter.* Tom. 15. p. 2. f. 3. puncto 4. q. 9.

190.

Q. 24. Quid dicendum sit de Sacerdote, qui circa consecrationem vel Missam est scrupulosus. &c. Sacerdos specialiter tenetur excludere scrupulos in Sacrificio, quia summè dedecent hunc Ministrum non tantum nomine sed etiam in persona Christi operantem, inhonorant hanc divinissimam actionem, pariunt apertum scandalum populo, cujus etiam devotionem maxime turbant. Ut autem hos scrupulos emendet, poterit Sacerdos sequentibus principiis se dirigere.

191.

§. 1. Si labore circa intentionem consecrandi, notet doctrinam, quam dant omnes cum *Pasq.* q. 322. *Gob.* tr. 3. n. 783. *Herinx* d. 3. n. 32. *Bosco.* d. 1. f. 7. n. 115., nempe vix possibile esse, ut Sacerdoti ratione utenti & alicujus conscientia desit intentio sufficiens, nam secundum dicta p. 1. n. 58. & 59. sufficit intentio virtualis, directa & exercita, contenta in actionibus,

bus,
duit
do v
con
ilta.
tur
Burg
hac
tion
§.
fran
brar
tur
Greg
de in
inter
ipso
suffi
Suar
§.
non
& qu
non
pet
org
quit
exp
sciss
form
pite
pet
§.
mon
per
ver

bus, quibus lavat manus, apponit hostiam, induit vestes, accedit altare &c. hæc enim faciendo vult aliquid, & non aliud quàm sacrificare & consecrare, uti hætenus solitus est velle per ista. Neque illa intentio impeditur aut revocatur per distractionem, *Henriq. Regin. Tamb. Burgh. cent. 2. cas. 62.* ergo irrationabiliter ex hac parte dubitat postea de valore consecrationis.

§. 2. Securissimus erit quoad intentionem, si ante Missam recitet orationem: *Ego volo celebrare Missam &c.* quod si faciat, etiam lucrabitur 50. annorum indulgentias ex concessione *Greg. XIII.* Postmodum in Missa non cogitet de intentione renovanda, nec dicat, nequidem internè, volo consecrare &c. sed certus sit, hoc ipso quòd timeat, ne non habeat intentionem sufficientem, se habere sufficientissimam, *Caj. Suar. Tamb. Gob. n. 787.*

§. 3. Assuescat verba consecrationis dicere non altiùs quàm reliqua, quæ secretè dicuntur: & quamvis fortè ob strepitum vel turbationem non audierit se illa proferentem, non ideo repetat quicquam, si enim moverit linguam & organa vocis, uti solet, quando audibiliter loquitur, imprudenter timet, ne nunc non satis expresserit. Accedit, quòd mutilatio vel abscissio alicujus etiam syllabæ rarò invalidet formam, uti dictum p. 1. n. 360. unde ex eo capite adhuc non esset ipsi licitum quicquam repetere.

§. 4. Proferat verba consecrationis sine timore, nec vi quasi exprimens, nec halando super hostiam vel in calicem, in hoc enim est irreverentia, nec ullum nutum det capite, sed continua te

tinuatè & immotus proferat, sicuti proferat alia, certum enim est, quòd nimia sollicitudo rectè proferendi causa sit non proferendi rectè.

195. §. 5. Caveat, ne verbum ullum repetat, quamvis timeat, ne non bene expresserit, uti jam insinuaturn est, hoc enim foret peccatum secundum dicta p. 1. n. 129. Et de hoc sic scribit Gob. n. 94. *Qui ita unum verbum bis terve repetunt, per se loquendo, peccant graviter, quia inducunt novum ritum circa actionem dignissimam, mutant formam Sacramentalem, representant nobis Christum ridiculè loquentem: Credo tamen, inquit, tales coram Deo non peccare graviter, quia scrupuli eos adigunt ad hanc parvam stultitiam.*

196. §. 6. Si incidat apprehensio, quasi per Tò meum vel mei significet aut significarit corpus vel sanguinem suum Sacerdotis, aut ne per Tò hic velit aut voluerit significare in hoc loco, quamvis hoc ipsum vivaciter imaginetur, dum consecrat, nihilominus pergat contemnendo, nec curet formare intentionem contrariam, certum enim est illum habere & habuisse intentionem generalem prævalentem significandi hoc, quod significari debuit, quod etiam inde evincitur, nam certum est ipsum potius voluisse proferre, sicuti proferri debent, quàm voluisse peccare mortaliter, voluisset autem peccare mortaliter, si exclusâ intentione generali maluisset proferre in sensu illo, de quo scrupulum habet, ergo certus est se habere & habuisse intentionem sufficientem.

197. §. 7. Si distractus fuerit, & postea nesciat, an non fortè omiserit aliquid, imò si non recordetur se consecrâsse, non debet ex hoc turbari, inquit S. Th. q. 83. a. 6. ad 5., non enim, qui

qui multa dicit, recordatur omnium, quæ dixit, hinc monent omnes cum *Passq.* q. 317. n. 4. ut pergat & supponat se omnia debite dixisse & fecisse, nam solet ista facere sine errore, & ex communiter contingentibus est prudens præsumptio.

§. 8. Si circa aliquid fiat quasi perplexus, & 198. nesciat, an hoc, an illud facere debeat, non hæreat, sed statim faciat, quod primò ipsi videtur esse melius, quod autem semel resolverit, in eo permaneat, nec rursus examinet, an bene sic statuerit, sed pergat. Et quamvis postea reperiat se errasse, non ideo debet inquietari, quia bona fides excusat, nec debebat hærare, tum ne in populo causaret admirationem, tum etiam quia debet in ista actione se ostendere irreprehensibilem, uti dicitur n. 533.

§. 9. Timor, ne sit in malo statu, excuti debet secundum principia communia, de quibus dictum est *L. 1. à n. 546.* hinc generaliter loquendo iudicet se non amisisse gratiam, quamdiu indubitanter & certò non scit se amisisse. 199.

§. 10. Denique in his aliisque ejusmodi ex- 200. quirat iudicium probi, prudentis & docti Confessarii, cui si totum humiliter aperuerit, quod hic dicet faciendum, illo stet, quantumcunque remordeat conscientia vel obluetur iudicium proprium, hæc enim debet deponere. Atque hoc ultimum est universale, tutissimum simulque facillimum remedium, uti dictum est l. 1.

n. 540.

DUBIUM